



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

De spirituali coecitate ac methodo ea[m] effugiendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

*Remedium
contra reci-
diationē.*

à reciduatione? Cura vt veram de peccatis contritionem, firmumque propositum ea fugiendi habeas. Atque vt hoc assequaris, præ oculis continuo habe prauos peccati effectus, quos in anima producit. Horum quosdam supra enumeravi, è quibus reliqui nullo negotio colligi possunt. Roga denique B. virginem Mariam vt spirituale lumen tibi dignetur impetrare, quo illos clarè cognoscas & detesteris.

PROFER LVMEN
COECIS.

*De spirituali cœcitate ac methodo
eam effugiendi.*

CONSIDERATIO.



Spiritualis cœcitas nihil aliud est, quàm quædam intellectus obscuritas, quæ causa est, quo minus homo possit cognoscere quæ ipsi ad salutem necessariò credenda & facienda sunt. Hac cœcitate atque caligine circumfusi sunt omnes Ethnici,

*Cœcitate
qui homi-*

ei, Iudæi, Hæretici, Schismatici, A-
 thei, & non pauci etiam ex Christia-
 nis. Ad Ethnicos quæ ait Paulus
 id testatur cum ait: *Quod cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorifi-*
caverunt, aut gratias egerunt: sed eva-
nuerunt in cogitationibus suis, & ob-
suratam est inspiens cor eorum. Vi-
centes enim se esse sapientes, stulti facti
sunt. Et mutaverunt gloriam incorru-
ptibilis Dei, in similitudinem imaginis
corruptibilis hominis, & volucrum, et
quadrupedum, & serpentium. His
 verbis præter alia multa quæ ibi-
 dem subijcit, Apostolus Gentilium
 cœcitatem atque opera nefanda de-
 scribit.

*nes labo-
rent.*

Rom 5.

*Cœcitas
Ethai orū.*

Ad Iudæos verò quod spectat:
 quis non videt quantis tenebris of-
 fusus sit intellectus eorum? quando-
 quidem nec claritatem Euangelii
 conspiciunt, nec Christum pro vero
 Messia cognoscunt: quem magna
 Gentilitatis pars pro Deo & totius
 mundi salvatore agnovit & modò
 agnoscit, & confitetur. Sed cœci &
 dēsa caligine obruti in falsis opinio-
 ni-

*Cœcitas
Iudæorum.*

nibus suis obstinati permanent, existimantes Messiam aliquando venturum qui eos à dura, qua opprimuntur, captiuitate vindicatos, in veram libertatem asserat. Sed frustranea est omnis eorum expectatio: non enim videbunt eum, nisi cùm in extremo sæculorum die in maiestate sua rationem cum hominibus positurus aduenerit. Tunc videbunt, vti scriptura dicit, *in quem confixerunt.*

Ioan. 19.

Cecitatem hæreticorum.

Verùm trãseamus ad cœcitatem hæreticorum & schismaticorum, id est, illorum Christianorum, qui se ab Ecclesia segregarunt, vt veritatem oppugnent, & Spiritui sancto bellum indicant. Qui se quidem diuino lumine illustratos esse iactant, & non vident, quod ab ecclesia deficiendo illud etiam exiguum luminis quod habebant, perdiderint. Antequam enim ab Ecclesia desciscerent, illustrabantur à fide, at postquam ab ea discesserunt, tenebris oppleti sunt. Vera fides credit & confitetur sine exceptione omnia,
 quæ

quæ S. Ecclesia Catholica docet ac
 profiteretur: Hæretici verò, nō modò
 nō credunt, sed etiam illam cōtra cō-
 scientiam oppugnant, & subuertere
 conantur, neque hoc contenti, dis-
 cordias in mundo seminant, sediti-
 ones excitant, & omnia confun-
 dunt atque permiscent. Quæ autem
 est alia huius cœcitat̄is causa nisi
 peccata illorum? Hæresis enim,
 vt quidam sapienter ait, non
 est primum hæretici peccatum,
 sed alia prius intercesserunt, qui-
 bus quasi gradibus ad tantum
 scelus ascendit: sunt autem ferè
 in causa Superbia, & Luxuria.
 Utinam contenti essent in hanc
 cœcitatē incidisse, minus cer-
 tē nocumenti, & sibiipsis, &
 aliis, qui cum eis conuer-
 santur, adferrent. Sed heu in-
 foelices & miseri, non hic gra-
 dum figunt, de vna cœcitate in
 aliam longè grauiorem corruunt:
 de hæresi ad Atheismum deuoluun-
 tur, & cum ipsi oculis priuati sint,
 solem etiam è mundo tollere, atque

Psal. 52.

ne illis, qui sanos oculos habent luceat, impedire nituntur. Impietas ad hanc eos infelicitatem prouehit, dicente Dauide: *Dixit impius in corde suo nō est Deus.* Vbi post pauca de iisdem loquens subiicit: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* En insignem hæresis fructum. En quo tandem deueniat hæreticus.

o
Cæcitas
multorum
Christianorum.

Esaï. 5.

Intellexisti igitur anima Christiana, peccato causam esse assignandam omnis cœcitatibus in rebus fidei: cupis nunc perspicere quod idem causa sit omnis cœcitatibus in moribus & vita? Intuere quàm multi sint inter eos qui Christiano nomine censentur, qui dicant, iuxta id quod ait scriptura, *malum bonum, & bonum malum.* Qui non erubescunt, vitio virtutis, & virtuti vitii nomen imponere: qui sumptuum & expensarum moderationem, tenacitatem: eorundem verò profusionem liberalitatem appellant. Quod si nonnunquam vitium, vitium esse dicant, se tamen nihilominus, si in tale aliquod vitium

inciderint, omnibus modis excusa-
 re moliantur. Aut enim scelus ip- *Excusatio-*
 sum extenuant, aut culpam illius in *nes peccato-*
 alios reijciunt. Si ego, autem, in va- *rum.*
 num iuro: alij sunt qui saepe periu-
 rent, & horrendas in Deum blas-
 phemias euomant. Si ego tale pec-
 catum admisi, non mirum quia pri-
 mum ab hominib, prouocatus fui:
 tum etiam caro, mundus & Diabo-
 lus me grauius tentarunt. Quis au-
 tem adeo cæcus est qui non videat
 hos cæcos esse, imo quod peius est,
 semetipfos excæcare, nec velle in-
 tueri saxa, scopulos, vada, cæteraq;
 ingentia spiritualis huius nauigati-
 onis discrimina. Vides igitur cæci-
 tatem hominum mundanorum. Et
 vtinam hæc cæcitas non inuenire- *Cæcitas quo-*
 tur in multis Religiosis; non habe- *rundam re-*
 rent profecto tam magnam de sei- *ligioferna.*
 psis opinionem: nec essent adeo per-
 tinaces in suo sensu, sed se duci ac
 regi permetterent, sine vlla rebe!li-
 one ac murmuratione: non etiam
 excusarent defectus suos, sed primi-
 eos accusarent & reprehenderent.

F Iustus

Proa. 13.

Iustus enim, ut sapiens ait, prior accusator est sui. Iob vir iustus & sanctus erat & tamen dicebat Deo: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Deus idem testatur cum te iustitias iudicaturum esse affirmat.

Iob 9.

Psal. 74.

Hoc iudicium cum exercuerit, prætexitus omnes & excusationes tam sæcularium, quam religiosorum, quibus peccata sua nunc obvelant, ac circumscribunt, detegentur, & vani ac friuoli esse apparebunt.

Quamodo
quis liber
possi: esse a
cacitate.

1. Tim. 2.

Quapropter si ab omni cœcitate siue fidei siue morum tutus & liber esse vis, fuge peccatum. Hoc S. Pauli cōsiliū cum ad Timotheū discipulū ita scribit: *Milites in illis bonā militiā habens fidem & bonā conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt*: hoc est, infideles, Mahometani, Iudæi, hæretici, aut Athei facti sunt. Vigila super his, & noli committere ut vel Diabolus, vel caro, vel mundus te circumueni-

M Y S T I C A. 133

ueniant. Si enim Samson fortissimus non obdormiisset, virium suarum iacturam passus non fuisset, nec Philistæi eum excæcatum, pistrino ad molendum alligassent. *Iudic. 16.*

Quod si fortè cæcitate oppressus es, roga Beatam Virginem, pro spirituali lumine vt tuam navigationem prosequi, & à spirituali naufragio securus esse valeas. Et quia passionum & affectionum inordinatarum nebulæ rationis oculos ferè obscurant, precare B. Virginem, vt fortitudinem necessariam tibi postulet, quo illas ita sopire, atque moderari possis, ne amplius intelligentiam tuam obfuscent. Hæ passiones sunt mala tua, à quibus in tua meditatione liberari petisti: Quod nunc iterum
pete & dic:

F a MA-